

Botan 255^d.

9
ACADEMIAE WITTEBERGENSIS

H. T. R E C T O R

E T

FACULTATIS MEDICAE DECANVS

D. GEORGIVS RVDOLPHVS
BOEHMER

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DIE XIX. MENS. APRIL. A. MDCCC

HABENDAM INDICIT

E T

PLANTAS FABVLOSAS INPRIMIS MYTHOLOGICAS

R E C E N S E T

S P E C I M E N I I.

WITTEBERGAE

LITERIS CHRISTIANI PHILIPPI MELTZERI.

LIBRARY OF THE
MUSEUM OF COMPARATIVE ZOOLOGY
D. GEORGE S. RYDOLPHUS
BOEHMER
MUSEUM OF COMPARATIVE ZOOLOGY
D. GEORGE S. RYDOLPHUS
BOEHMER
MUSEUM OF COMPARATIVE ZOOLOGY

Harum Plantarum quasdem, scil. Myrtum, Amaracum, Violam, Populum, Hyacinthum, Lotum, Aconitum, Crocum, Brassicam et Narcissum, nuper recensuimus, nunc addamus alias:

Cupressus. OVIDIVS Metam. L. X. vers. 106 incipit:

Adfuit huic turbæ metas imitata Cupressus

Nunc arbor, puer ante Deo dilectus ab illo, et sp.

Cupressum ortum fuisse ex Cyparisso, Telephi filio et Apollinis Amasio, vel ut alii volunt, a Sylvano, sylvarum et pastorum Deo, qui ob interemptum Cervum, quem in deliciis habebat, fletu et abstinentia cibi et potus tabesceret, misericordia Deorum in arborem Cupressum mutatus fuit; quare Sylvanum semper in manibus gestasse Cupressum tradiderunt; et sic VIRGILIUS Georg. I. v. 20.

Et teneram ab radice ferens Sylvane Cupressum.

Fabulam hanc integram haud ineleganti carmine repetiit RAPINVS Hort. Libr. 2. p. 49:

Cervus, erat quondam iuveni dilectus, et ipsi
Sylvano, qui dum frigus captaret in herba,
Hunc puer imprudens iaculo transfixit acuto,
Utque suum agnovit, percussit pectora palmis,
Se miserum inelamans; non ipsum excusat amore
Errorem factum verbis obiurgat amaris
Sylvanus, durum increpitans et crimen acerbat!
Ille probro victus simul oppressusque dolore
Pertæsusque sui, Lacrymarum flumine largo
Lavit humum, tellus isto tepesfacta calore
De Pueri tecum fecit, Sylvane, Cupressum.

Alii hunc Cupressum, Cretensem puerum, pulcherrimum et castissimum fuisse, quem quidam ab Apolline, nonnulli Zephyro, amatum volunt, qui, dum castitatem suam incorruptam tenere cuperet, relicta Creta, ad Orontem fluvium et montem Cassum pervenisse et in Cupressum commutatum fuisse dicitur. PIERIUS autem in Hieroglyphicis Alclepiadem auctorem citat, nomen huic arbori inditum fuisse a Cyparissa, filia Boreae, Regis Celtarum, quam immaturo nimis functam fato, cum tumulasset, dicitur hanc arborem in eius tumulo sevisse, a qua satione arbor et semper funerea habita fuit, et nomen ei inditum Cyparissi. Vid. NEEDHAM in Geoponic. notis p. 304. PLINIUS L. 15. c. 33. scribit de Cupresso Diti sacra et ideo funebri signo ad domos posita, erat enim antiquitus ritus, quo hanc arborem vel in defunctorum aedibus, vel in monumentis adfigerent. In Geoponicis Libr. XI. c. 4. p. 304 legimus: Cyparisson dictam fuisse arborem, quod fere pariles gestet tum ramos, tum fructus, et additur: Eteoclis filiae saltantes ad aemulationem Dearum in puteum extra choream evolutae delapsae sunt, verum terra cladem ipsarum miserata plantas virides, puellis similes, produxit iucunditatem hominibus et memoriam ipsarum inducens. Eteoclis filiae dictae fuerunt Charites, et hinc quoque Cyparissi nominantur Charites. Cyparissus dicitur per synaeresin et conversione y in u Cupressus.

De Clytie nympa, in herbam *Heliotropium* conversa, historiam tradidit OVIDIUS Met. L. IV. v. 256 sqq. Scilicet Clytie ob iniuriam, ante dilecta, ab amatore diserta, ita tenuitate visceribus erat, ut in herbam converteretur, quae, quia primum conservaret amorem cursumque observaret eiusdem Dei, vel ut converso semper in solem suum vultu, in florem mutata est, *Heliotropium* dicta; vid. POMPEY Panth. myth. p. 27.

De *Olea* maxime aestimata et forte etiam singulari casu producta legimus in Geopon. Libr. IX. c. 1. p. 211. Cum terra tota ab initio aqua cooperta esset, primumque Athenis appareret, Minerva et Neptunus loci amore capti inter se contenderunt, utrius nomine civitas

vitas

vitas istic conderetur. Iupiter autem litem inter ipsos dirimere gestiens, praeconio edicere iussit, quod uter ipsorum optimum donum urbi praeberet, Ille ipse hoc obtineret. Neptunus igitur portibus et navalibus ipsam exornabat, Minerva autem Oleam in arce produxit floridam et fructuosam, atque ex hac coronata et ab omnibus conspicua vicit, et de nomine ipsius urbem Athenas nominarunt.

Tilia gr. *Φιλύρα*. Poetae fingunt Phyliram in sui nominis arborem mutatam fuisse, cum potiretur Saturnus eius amoribus, a huius autem uxore Rhea turbata aufugit e Creta variasque per regiones quaestum fecit suo corpore victima publicae libidinis; ut APOLLONIUS refert; Hyginum a Saturno compressam ait in Thracia, cumque Chironem biforem, Centaurum quippe, peperisset, a Iove precibus consecutam ut in Tiliam commutaretur. Adde, quod Philyra meretricis nomen fuerit, quam Zylas iuvenem adhuc scortari desuisse notavit ATHENAEUS L. XIII. p. 586 et 592, qui etiam Libr. XII. p. 551 Cineium Poetam, hominem impurissimum ab ARISTOPHANE Philyrinum Tiliaceum dictum retulit, non quidem, ut LINDNERUS in Diff. de Tilia Lips. 1669 edita existimat, a meretrice Philyra, sed ideo, ut docet ATHENAEUS, quod Tabella, sumta e ligno Tiliae, se circumcingeret, ne ob proceritatem et gracilitatem corpus flecteretur. RAPINUS Hort. L. II. p. 50 scribit:

Philyra et ipsa fuit quondam, si vera vetustas,
Inter Hamadryadas cultu formosa sorores,
Quae si furtivos vetasset Panis amores
Formosa esset adhuc virgo aeternumque fuisset.

Rosa. Multae de Rosa conditae fuerunt fabulae. ANACREON, qui cum Venere ex Oceani spuma edita et Minerva e Iovis vertice proficiente, Rosae e terra prodeuntem celebrat stirpem. BION Rosam ex Adonidis, ab apro interfecti, cruore enatam tradidit: Cupidinis a sanguine rubram factam fingit AUSONIUS, CASS. BASSUS in Geopon. L. XI. c. 17. p. 313 ait; amasse Venerem Adonidem, amasse autem

autem et Martem, igitur aemulatione accensum Martem sustulisse Adonidem, solutionem amoris morte Adonidis fore ratam. Deam autem factum cognoscentem se de Marte ulcisci statuisse, et prae nimio studio in Rosas irruisse, discalceatamque ab ipsius Rosae Spinas plantam pedis impegisse, indeque Rosam, antea albam, ex sanguine, de faucibus venere destillato rubefactam esse, odorisque ei tantum accessisse iucunditatem. Alii aiunt, cum in coelo Dii convivarentur et nectar multum adstaret, amorem choream duxisse ac tripudiasse, et cum ala crateris fulcrum concussisse eumque evertisse, atque sic nectar in terram effusum rosae florem rubicundum reddidisse. Conf. RUELL. L. I. p. 247, et MEURSI Arbor. Bibl. p. 102. qui etiam alias, quae Rosae cultum et aestimationem concernunt, historias recensuit. Recentiori tempore Saraceni ex sudore et cruore Mahomedis productam fuisse Rosam contendunt. Vid. MYLI Hortus Philos. p. 328.

De *Quercu* fabulam, quam et meminit HOMERUS Odyss. et VIRGIL. Georg. 2. etiam repetiit RAPINUS L. 2. p. 42 sequentibus

Iupiter immensum mundi dum conderet orbem:
 Immanes terra nati de matre Gigantes
 Bella movent superis, summi moderator Olympi
 Dissipat instantem vibrato fulmine turbam,
 Et coniuratos coelum perumpere fratres,
 Natorum caedem tellus miserata suorum,
 Fervidum adhuc, Hylei, ut erat, complexa cruorem,
 Namque fuit matri fratrum charissimus unus
 Hyleus, quem gremio mater dilecta tepenti,
 Dum fovet, ingenti de corpore tenditur ingens
 Truncus, et edurum crescit de pectore robur. et s. p.

Aliam narrat OVIDIUS Met. L. VIII, v. 611 sq. Iupiter et Mercurius in hominum figuras versi, cum a nullo susciperentur hospitio, a Philemone et Baucide hospitaliter sunt excepti, ergo, ut numen et vim ostenderent suam, casam eorum in templum et in Arbores converterunt, ita ut cederet in fructicem, Quercum vel Ilicem Philemon, Baucis in Tiliam.

Mym-

Nymphaea a *Nympha*, quae clava ab Hercule interfecta, vel ipsa Zelotypia erga eum mortua, in plantam hanc mutata fuit, ut refert PLINIUS L. 25. c. 7. ideoque eos, qui bibant eam, 12 diebus coitu et genitura privari. De hac *Nympha* elegans carmen conscripsit COWLEIUS, quod incipit:

Nympha fui, Dea postremae non infima Classis,
Venit amor, qui tum profuit esse Deam?
Flammipotens iubet ille, accendor in Hercule viso,
Totque triumphorum pars Dea parva fui.

Vid. Eius Poemata p. 29.

Lilium. Fabulam de huius e *Iunonis* lacte generatione OVI- DIUS retulit sequentibus:

Dum puer Alcides divae vagus ubera suxit,
Iunonis, dulci pressa sapore fuit
Ambrosiamque alto lac distillavit Olympo
In terram fusum *Lilia* pulchra dedit.

Integram BASSUS in *Geopon. L. XI. c. 19. p. 314 dedit, dum scripsit: Dum *Iupiter* *Herculem* ex *Alcmena* genuisset essetque mortalis, ideo *Hercules* immortalitatis participem facere cupiebat, et propterea ipsum adhuc infantem *Iunonis* dormientis uberibus admovit. Infans lacte satur os a pupilla amovit, lac nihilominus tamen uberim fluebat, etiam puero amato, et quicquid eius in coelo diffusum est, *Galaxiam* effecit, quod vero in terram delapsum est, eiusque glebas tinxit, id florem *Lilii* produxit, quod lactis colorem exprimit. Hinc addit NEEDHAMUS *Lilii* quoque flores *Iunonii* dicuntur.*

Laurus. *Daphne* *Ladonis* et *Penei* filia fuit pulcherrima, huius amore percitus *Apollo* eam, ut dilectam, insequeretur, cum igitur apprehenderetur a Deo, supplicasse fertur matri Deae, et ab hac suscepta esse. Cum autem statim pro ipsa arborem redderet terra, *Apollo* ea conspecta obstupuit, et arborem quidem a Virgine eodem nomine *Daphnim* appellavit, ramo vero a planta accepto sibi coronam
inde

inde fecit, et ex eo tempore Vaticinationis signum arbor fuit. Haec et plura alia, quae ad Laurum spectant, leguntur in Geopon. Libr. XI. c. 1. p. 302. Hanc fabulam quoque exposuit OVIDIUS Met. L. I. v. 452 sqq. Conf. WAGNERI Arbor. Sacr. de Lauro. Helmst. 752.

Pinus sacra olim fuit Pani sive Fauno, Pastorum Deo, quare etiam aram Panis fronde Pini coronabant, imo Ipse Pan fronde Pini se coronabat. Hinc OVIDIUS Met. L. I. v. 699:

Pan videt hanc Pinuque caput praecinctus acuta
Talia verba refert.

Secundum Geoponic. Libr. XI. c. 10. p. 308. *Pinus* puella prius erat, et mutationem naturae ex amore duplici assumpsit. Amabat enim puellam Pan, amabat eandem etiam Boreas, cum autem uterque puellam alliceret, ipsa Panis amore magis afficiebatur, et ob hanc rem Boreas, aemulatione motus, puellam in petras impulit, ac neci tradidit. Terra autem miserata cladem plantam puellae cognominem edidit, ac produxit et permutata vita erga eosdem priores affectus servat, et Pana quidem germine suo coronat, flet autem et lamentatur arbor, ubi Boream afflantem senserit. Alii scribunt, illam etiam sacram fuisse Rheae matri Deorum, Atyis enim, sive puer fuerit Phrygius, sive sacerdos Rheae, cum perpetuam virginitatem se servaturam pollicitus esset, nec tamen servasset, a Dea in furorem est percitus, et in illo furore cum genitalia sibi execut, violentasque manus sibi inferre voluit, Dea miserata illum in Pinum convertit, hinc Rheae arborem illam sacram fecerunt, ut legimus in OVIDII Metam. L. X. v. 103:

Et succincta comas hirsutaque vertice Pinus
Grata Deum matri, siquidem Cybeleius Attis
Exiit hanc hominem, truncoque induruit illo.

Explicationem addit BURMANNUS p. 692. Ad Cantus Orphei, desiderantis consuetudinem coniugis, cum plurima animalia capta vocis dulces-

dulcedine convenissent, et in his etiam arbores elicitaе, inter eas stupens cantibus fuit Pinus, Cybeles montis, qui in Phrygia est, in quam Attes, matris Deum antistes, mutatus est. Paulo aliter hanc fabulam tradidit NAT. COMES in Mythol. 95, et MEURSIUS in Arb. sacro p. 62. Attys ad suscipiendam prolem inutilis ab ipsa Dea factus, cum adolevisset, magnae matris ceremonias in Lydia monstravit, quare tanto in honore fuisse apud Deam dicitur, ut, Iupiter illud graviter ferens, immanem Aprum in segetes Lydorum immiserit, a quo et alii Lydorum plures, et ipse Attys fuerit interemptus et in Pinum ab ipsa Dea conversus. Conf. COWLESI Poemata p. 261.

Mentha a MARTIALI X Epigr. 48. dicitur destupatrix

Nec deest stupatrix Mentha, nec herba Salex

alludit ad veterum fabulam, qua natura huius plantae indicabatur, vid. OPPIANI Halieut. Libr. 3. quod Mentha prius fuerit Corytia Nympha, quam Plutonis pellicem tradunt extitisse eamque, cum Proserpina dolo circumvenisset, in Mentham fuisse transfigurataм; vid. NAT. COMITIS Mythol. L. II. p. 174. huc et pertinet OVIDIUS Met. X. v. 729:

An tibi quondam

Foemineos artus in olentes vertere Menthas,

Persephone, licuit:

Anemone. Adonis excellenti forma puer, quem Venus in deliciis habuit, et ministrum sibi delegit; a Marte autem, quia Adonidi invideret, tanquam rivali, qui se in Aprum conformasset, inter venandum apri dente percussus, interiit; Venus autem post multas lacrymas, quibus mortuum prosecuta est, eius cruorem humifusum in florem Anemones, qui sanguini concolor est, commutavit. Vid. POMEY Panth. p. 103. Ad etymon scil. *ανεμος* Ventus, quia, ut PLINIUS L. 21. c. 23. scribit, Flos nunquam se aperit, nisi vento flante, alludit OVIDIUS Met. L. X. v. 734:

B

Nec

Nec plena longior hora facta est mora
Dum flos de sanguine concolor ortus.

et dein

Namque male haerentem et nimia levitate caducum
Excitant iidem, qui perflant omnia Venti.

Hanc fabulam eleganter exposuit RAPINUS l. c. p. 33 sq. atque in
fine scripsit:

Et Venerem fert fama, suum dum plorat Adonim
Fulmineis torvi perfossum dentibus apri
Illo praecipuum solatam flore dolorem.)
Nam postquam fuso, quod erat mortale, cruore
Eripuit, sacroque asperfit denique succo;
Haud mora purpureo natus de sanguine flos est
Purpureus, Veneri ereptum qui penset Adonim,

Quae restant Mythologicae, cum aliis fabulosis, proxima occa-
sione recensere, nunc enim commendare et laudare debemus

VIRVM NOBILISSIMVM ET DOCTISSIMVM

FRIDERICVM AVGVSTVM POENITZ

MEDICINAE CANDIDATVM,

Qui nunc Ipse Vitae rationem more solito exponet, quibus Parenti-
bus ortus, quibusque Praeceptoribus usus sit, et quanto studio et di-
ligentia Artem salutarem hucusque coluerit.

*Si verum est, vitam recte conditionem nominari, sine qua nihilo,
quod exoptandum sit, gaudere possimus, idoneam autem educationem
id esse, quod prae omnibus exoptemus, facile intelligo, cur optimis
dilectissimisque Parentibus, quos meos esse summum numinis censeo be-
neficium, tantas debeam gratias, quantas vix unquam, et ne vix
qui-*

quidem, declarare possim. FRIDERICVS AUGUSTVS POENITZ, *almam Dresdam patriam nactus, Patre gaudeo FRIDERICO LEBERECHE POENITZ, Superiori Dispensationum militarium Curatore, Matre gavifus FRIDERICA e gente Fueffeliana, cui, XV iam ante annos praematura morte proh dolor! ereptae, pias lacrymas fundo. Priusquam vero vitam, quam et qualem hucusque egerim, describerem, non a me impetravi, quin ad Vos me primum converterem, Viri pie colendi, quorum curae ac benevolentiae opportunitatem, qua, si quid boni in me est, nactus sum, tribuendam duco. Primo iam loco salutandus est Pater desideratissimus, qui, a primis inde incunabulis ad hunc usque diem tenerrimo amore ac indefesso studio meas res complexus, tot tantaque in me contulit omnis generis beneficia, ut, si unquam (quo quidem facinore nil peius, nilque a me remotius censuerim) oblivioni tradidero, ingrator me esse possit nemo. Altero statim pietatis loco ponendus est Vir summe colendus, FUESSEL, Iur. Utr. D. et Senator Dresdensis Dignissimus, Avunculus optime de me meritus, Cuius permultis, quibus humanissime me ornavit, benevolentiae documentis, saluberrimisque consiliis, in gratissima mente depositis, ut in dies me digniorem reddam, maximis, quod ingenue fateor, in votis est. Ceterorum denique, quibus gaudeo, Fautorum gratam recordationem et memoriam ad finem usque vitae sempiterno venerabor cultu.*

Pater optimus quum diligenter me in omnibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem institui solet, imbui curaret, traditus sum instructoribus privatis, quorum praecipue KOCHII, nunc Conrectoris Neostadii prope Dresdam, curae debeo, ut prima graecae latinaeque linguae rudimenta bene acciperem. Anni 1790 mense Aprili Halam delatus sum, ubi inter scholae, in Orphanotropheo laetissime florentis, membra recepto, tam opportuna mihi oblata est occasio, omnia,

quibus opus est literis in Academia olim operam navaturo, addiscendi, ut optimo iure, hanc scholam ex praestantissimarum numero esse, iudicaverim. Prae omnibus, quos ibi Praeceptores colui fidelissimos, Viro pie Devenerando DIEKIO tanta debeo beneficia, quantas gratias, etsi habeam, agere tamen nunquam possim. Hic Vir, Inspector Scholae Orphanotrophei Meritissimus, eruditionis et morum praestantia omnibus laudibus superior, non solum fautoris, sed patris amore me amplexus, optima quaeque indefesso studio ac humanissime per quadriennium me docuit. Utinam Tibi, mi paterne Amice, quanta mea in Te sit pietas, non nisi mecum interitura, demonstrare possim! Neque vero nomina Virorum, KIRCHNERI (Inspectoris nunc oeconomici) mihi Carissimi, HELDII (itidem Inspectoris), SIEFERTII, WALKHOFFII et BARBII (Professoris nunc Berolinensis meritissimi, mihi que admodum iuncti) silentio praeter-eunda sunt, quos omnes ac singulos vel institutione vel benevolentia optime de me meritos grato animo recordor. Scholastico curriculo finito, anni 1794 mense Martio redux Dresdam factus, ubi, quum numero studiosorum essem adscriptus, praelectionibus, quas Viri, HAEHNEL, TITIUS, DEMIANI, WILD, HEDENUS, artis medicae et chirurgicae Experientissimi mihi que Aestimatissimi, habebant, Aesculapii sacris initiatus sum. Linguis simul recentioribus (quarum doctorem Vir praestantissimus, LAUTERIUS, Legationis Borussiae ab epistolis, amicitia, qua eximie delector, ductus, egregium se mihi praebuit) excolendis, nec non Mathefi operam dare perrexi. A. 1795, quum sub semestris aestivi initium Rempublicam, quae Vitebergae floret, literariam adiissem, Vir summe Venerabilis DRESDE, fasces tunc temporis tenens, albo academico me inseruit. Cum persuasissimum mihi haberem, sine philosophica cultura bonum medicum esse non posse, Praecl. KRUGIUM, Virum sagacissimi ingenii, amplif-

amplissimae rerum cognitionis, integerrimique animi, totum cursum philosophicum tradentem, cupide audiui; privata insuper in philosophicis ac philologicis eiusdem Viri, de me meritissimi, institutione usus, et disputatorias, quae eo moderatore eximie florent, exercitationes, quam diu Vitebergae moratus sum, ambabus manibus amplexus. Praelectionibus philologicis, quas Viri Exc. MEERHEIM, HENRICI, KLOTSZCH, RUDOLPH habuerunt, nec non Technologicis Exc. ASSMANNI interfui haud sine magna voluptate. Exc. SCHROECKHII amplissima eruditio fons fuit, unde Historicas res haurirẽm noscendas. Ut medicinam ipsam accederem, Exc. TITII Lectiones in Physicam, Exper. LANGGUTHII et Exp. VOGTII demonstrationes osteologicas frequentavi. Exp. VOGTIUS non solum universam anatomiam, tum in scholis domesticis, tum in theatro anatomico, mihi tradidit, sed etiam cadaveribus apte dissecandis bene me exercuit. Exp. TITII scholas, quas de Botanice, Chemia, Pharmacia, Physiologia et Politia medica, habuit minime neglexi, nec non anatomicas res demonstrantem audiui. Exp. KREYSIG Pathologiam, Chirurgiam, Materiam medicam et Physiologiam me docuit, atque clinicarum exercitationum, quas Ipse, pro summa ingenii sagacitate et experientiae praestantia, regebat, participem me esse benevole concessit. Exp. BOEHMERUM, Senem admodum venerabilem, pietatis officio mihi prosequendum, Therapiae et generalis et specialis magistrum habere mihi contigit. Quum, ingenium haud mediocriter differendo, exerceri, rerumque adcuratam scientiam valde augeri, non me fugeret, per integrum fere, quod Vitebergae egi, spatium, Exp. BOEHMERI et TITII scholas eum in finem habitas adii, unde non parum sane voluptatis ac utilitatis in me redundasse fateor. Quibus doctissimis humanissimisque Viris propter institutionem, qua mentem meam excoluerunt, egregiam, nec non ob maximam, qua me ornarunt, benevolentiam obstrictissimum

simum me sentio. Nunquam tantorum beneficiorum memoria animo gratissimo excidet, insidebit, inveterascet. Examine feliciter superato, anni 1798 mense Sept. Academiam Ienensem petii, ubi, quum Viro summe Venerabili PAULO, legibus me academicis obsecuturum, promississem, integrum per annum commoratus sum. Hic ab ore dependebam Exp. HUFELANDII, Semioticen et Therapiam specialem tradentis. Exp. LODERO instructore totum denuo cursum anatomicum emensus, eiusdem Viri scholis physiologicis non defui. Exp. STARCK Chirurgiam c. arte fascias applicandi me docuit, nec non operationibus recte instituendis initiavit. Exp. GRUNERI de Semiotice, Exc. GOETTLINGII de Chemia experimentalis, Exp. AB ECKHARD (nuperrime proh dolor! defuncti) de arte Obstetricia praelectionibus usus sum. Viri subtilissimo ingenio, SCHELLINGII, de Philosophia naturali legentis auditor fui. Ceterum instituti clinici, quod sub auspiciis Exp. HUFELANDII et LODERI floret, socius egi, quibus propter eximia in me merita devinctissimum me censeo. Exp. HUFELANDIO inprimis quantum debeam nullo unquam tempore memor esse desinam. Ita et studii et benevolentiae, ab Exp. SUCCOVIO mihi praestitae, iucundissima semper animum meum subibit recordatio.

Nunc ad Nos regressus est, ut caetera Privilegia, quibus ornantur eminentia Professionis nostrae ingenia, ferat. Quapropter Dignissimo huic Candidato lubentissime annuit Facultas et Cathedram publicam aperuit, ad omnia haec uberrime demonstranda, habenda et sine Praeside defendenda de *animi functionum imbecillitate senili e corpore solo derivanda* Dissertatione. Ut igitur EX-RECTOR MAGNIFICUS, COMITES et BARONES ILLUSTRISSIMI, Academiae PROCERES, FAUTORES et CIVES Candidato Nostro, Palaestram intrepide ingredienti, maius sua Praesentia Decus conciliare velint, peramanter et officiose rogo. P. P. Vitebergae Dom. Qualimod. A. MDCCC.

Botan 521

